Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25977
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Incipit prologus beati hieronimi in hieremiam prophetam.

Post explanationem duodecim prophetarum. esaye. danihelis. & ezechielis. ad extremum in hieremiam manum mittimus. Tibi frater eusebi eiusdem comentariolos dedicantes. ut euangelicum uirum matheo copules. quem ante annos plurimos strictis sensibus te hortante disserui. Et quia uolumen longissimum est. & imple risque manifesta historia texitur. illud prudentiam tuam admoneo nequeras latam explanationem in hoc maxime super his que iam & in prophetis aliis dicta sunt. & per se patent intelligentie. Sicque conabor notariorum manu scribere. ut nichil desit in sensibus. cum multum desit in uerbis. Stamina tibi atque subtemina & licia preparabo. tu pulcherrimam uestem ipse conficito. ut non solum nos audire. sed & alios docere possis. Libellum autem baruch qui uulgo editioni septuaginta copulatur. nec habetur apud hebreos & heydenire he hon. epistolam hieremie nequaquam censui differendam. sed magis hieremie ordinem librariorum errore confusum multa que desunt ex hebreis fontibus degerere atque complere. ut nouum ex ueteri. uerumque pro corrupto atque falsato prophetam teneas. paruipendens obtrectatorum rabiem qui non solum uerba. sed sillabas quoque nostrorum uerborum calumpniantur. in eo se scire aliquid arbitrantes. si de alienis operibus detrahant. ut nuper indoctus calumpniator erupit. qui comentarios meos in epistolam pauli ad ephesios reprehendendos putauit. nec intelligit nimia stertens uecordia. leges comentariorum in quibus multe diuersorum ponuntur opiniones. uel tacitis. uel expressis auctorum nominibus. ut lectoris arbitrium sit quid potissimum eligere debeat decernere. quamquam & in primo eiusdem operis libro prefatus simme uel propria uel aliena dicturum. & ipsos comentarios tam ueterum scriptorum esse quam nostros. Quod non uidens precursor eius. trunnius olim nisus est carpere cui duobus respondi libris. que iste quidem quasi sua profert. & alio iam calumpniante purgata sunt. ut preteream contra